

corpo, qualis est nunc Christus: sicut nunc sumus in corpore, qualis tunc fuit Adam. Sicut ergo, quia Adam terrenus erat, & nos sumus terreni; sic quia Christus modo coelestis est, & nos coelestes erimus.

Hæc Theologia Pauli, qua fidei est, nobis grande argumentum iuggerit pro stabilienda resurrectione, & glorificatione Virginis ante universalem resurrectionem. Nam convenientissimum est, quod gratiæ, & privilegia concedenda aliquando toti generi humano, præventive concedantur Matri totius generis humani Auctoris: quia sicut privilegium sanctificationis in utero concessum aliquibus conveniens fuit, ut concederetur & Virgini; ita illud concedendum omnibus conveniens est, ut statim Virgini concedatur. Cum ergo privilegium resurrectionis in novissimo die futurum sit omnibus commune, quia *omnes resurgemus*, & illud glorificationis concedetur prædestinatis, quia *nos immutabimur*; conveniens, & æquissimum est, ut Beatissima Virgo statim post ejus mortem consequatur resurrectionem, & glorificationem sui castissimi corporis, & distinguantur in die sui felicissimi transitus per id, quod omnes consequentur in novissimo die. Quare concludendum, quod Christus ascendens super cœlos præparavit suæ castissimæ Matri immortalitatis locum, ad quem exaltata adoratur super choros Angelorum in cœlestibus regnis.

XI. Hæc præliminaris digressio non inutilis, nec incongrua reputabitur, si consideretur illam sternere viam, ut in suo lumine videantur rationes, quibus ostendemus non esse necessarium, nec expediens definire ex Cathedra Mysterium Immaculati Conceptus Mariae. Ut tamen facilius cuncta diagnosticantur, aliqua etiam breviter sunt prænotanda pro intelligentia Mysterii Conceptionis.

Conceptio, de qua sermonem habemus, propter quam ranta exorta sunt dissensiones in scholis, non est illa prima corporea in actu generationis formatio foetus Virginei, qui paulatim disponebatur, ut expletis diebus a natura præscriptis, organisque corporalibus discretus, redderetur capax, ut ani-